

nobis et successoribus nostris compareant contrahentes, ut per nos, vel successores nostros investiatur emptor, et satisfaciat nobis, vel successoribus nostris qui pro tempore erunt de laudibus et venditionibus inde contingentibus, ut fieri in talibus consuevit. Pro dicto vero castro nostro de Chaysseu et burgo reficiendo facient expensas homines nostri, salvo donjone, pro quo reparando nihil præstare debebunt, neque gaytare, vel eschargaytare in ipso donjone. Item dicti homines nostri sequentur nos in chavalchiam secundum usagium castri Castellionis super Asergo. Item si contingat, Nos, vel successores nostros aliquid acquirere infra dictos terminos ex venditione, seu donatione, aut permutatione, aut alia qualibet de causa, et contingat aliquem acquirere villagium seu vasilagium aliquod de prædictis sic acquisitis, tam emptor, quam tenementum erunt in libertate et franchisesia antedicta. Insuper volumus, quòd prædicta gaudeant libertate et franchisesia qui a nobis, vel successoribus nostris, vel mandato nostro pedas sive domos habent et habebunt, seu tenebunt in futurum infra terminos prædictos. Qui autem ab aliis pedas sive domos habent, habebunt, hac immunitate penitus sint exclusi. Hanc autem libertatem, et franchisesiam, quictationem et remissionem prædictas, et omnia prædicta et singula pro nobis et successoribus quos ad hæc servanda in perpetuum obligamus, promittimus prædictis hominibus nostris bona fide, et in verbo veritatis in perpetuum, firmiter, et inviolabiliter observare, et contra per nos, vel per alium facta, vel verbo, in iudicio, vel extra ullo tempore aliquatenus non venire, nec consentire alicui volenti contraire, et nihil in contrarium per nos, seu per alium ullatenus attentare. Et si fortè, quod absit, nos, vel successores nostri aliquo tempore veniremus, in aliquo, vel faceremus contra franchisesiam et libertatem huius modi, seu offenderemus pactiones et conventiones prædictas, vel pro nobis et successoribus nostris, promittimus eisdem hominibus nostris bona fide, et in verbo veritatis emendare posse damnum propter hoc, seu læsionem aliquam, et credere juramento ipsius super hoc cum duobus tantum sequentibus qui cum juramento asserant, se credere, idem esse verum. Dicti vero homines nostri pro dicta libertate et franchisesia dederunt nobis, et *solverunt centum libras parisienses pro dicto burgo de Chaysseu claudendo*. De quibus centum libris tenemus nos pro pagatis renunciantes in hoc facto nos dicti Electus et Conventus ex certa scientia, et bona fide, exceptioni non numeratæ, et non habitæ pecuniæ ob causam prædictam, doli, et in factum, restitutionis cuiuscumque, restitutionis in integrum, beneficio constitutionis